

dante, Mediolani expugnationem ad exitum perducere; quod satis per se tutum, hac quoque accessione validius esset. Urbinatis consilium Senatus est amplexus, expeditioque in proximum ver dilata, quo terrestribus, ac maritimis foederatorum viribus, majori conatu, ac nixu certandum fore videbatur.

Cum Gallorum Rex Neapolitanam victoriam sibi præreptam æquo animo pati non posset, præteritorumque eventuum infelicitate ad acrius instaurandum bellum veluti quibusdam stimulis incitaretur: Anglus vero, cui prosperæ res Cæsaris invisæ erant, idem se facturum polliceretur: neque Florentini ulla in re deessent; id unum, in quod summopere foederati incubuerant, adhuc desiderari videbatur; nempe ut Clemens tandem foederi accederet; quod hucusque distulerat, cum a Venetis Ravennam, ac Cerviam urbes, ab Alphonso Ferrariæ Duce Regium, ac Mutinam reddi sibi peteret: id ut consequi posset, a Gallo, atque Anglo postulaverat, ut auctoritate, atque officiis Venetos ad tradendas urbes hortarentur; quocirca Turrenæ Vicecomes a Francisco Rege, ut Pontifici gratificaretur, qui ob Renatam Regis affinem Herculi Ducis Ferrariensis filio ab eo connubio junctam nonnihil molestiæ percepisset, orator ad Rempublicam missus fuit. Petebat is Regis nomine, ut a Senatu urbes restituerentur; hoc tantum remorari Pontificem, ne foederi sese adjungeret; quo amoto impedimento, si foederatis accessisset, haud dubium fore, quin non exiguas vires adsumerent; id si Senatui non placeret, saltem illas in potestate Regis relinqueret, ut commodiori tempore de jure illarum disceptaretur. Senatus neque urbes tradere, neque se illarum possessione exuere æquum ducebat; cum, vel ad bellum prosequendum, vel ad pacem ineundam non exigua ab eis commoda accipere posset. Attamen ut Regi satisfaceret, & Clementem aliqua spe demulceret, ut aliqua ratio rei conficiendæ ex amborum principum sententia inveniretur, haud quaquam alienum esse profitebatur; idque Vicecomiti, Arausionensi Episcopo ordinarii oratoris munere fungenti, atque Henrici Angliæ regis oratori, decreto Senatus responsum est. Sed cum votis, ac postulatis Senatusconsultum minime respondere animadverterent, rem dissimularunt. Senatus quo magis res Flaminiae firmaret, Cæsarem Fulg-

*Renata c. d.
Hercule
Estense nup-
tiae.*

*Turrenæ
Vicecomes a
Gallia Rege
ad Venetos
missus.*

*Cæsar Ful-
gositius a Se-
natu missus
cum imperio
in Flami-
niam.*

sium